



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Centvriæ Selectorvm Casvvm Conscientiae. I. II. III.tia**

**Burghaber, Adam**

**Fribvrgi Brisgoiæ, 1665**

59. Nymphodora vouens Deo virginitatem, hâc perditâ, non tenetur ad perpetua[m] castitatem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40942**

nasterio in alterum transferendus, quem sui  
nolebant dimittere sine pacto compensatio-  
nis. Ad secundam distinguimus. Pactum ani-  
mo pretij factum est Simoniacum, concedes-  
tur: Negatur verò, si absit talis animus, vt  
accidit in proposito. Vnde patet, non omne  
pactum esse Simoniacum, sed solùm animo  
pretij initum, vt rectè citati advertunt.

LIX. *Nymphodora virginitatem vovit Deo,*  
*sed post aliquod tempus dubitat, an perpetuam Ca-*  
*stitatem promiserit: an solùm continentiam a pri-*  
*mo actu venereo. Quæritur. Ad quid porrò teneantur?*

Videtur teneri ad perpetuam castitatem.  
Ita multi, quos refert & sequitur Palao de voto.  
D. 1. pun. 12. n. 7. quia scilicet Virginitatem  
vovens censetur castitatem promittere, nisi  
aliud ex intentione certò constet: nec in du-  
bio aliud est præsumendum.

Resp. Probabile esse, Nymphodoram non  
obligari ad perpetuam Castitatem Ita Portel.  
& Vidal. apud Dian. P. 10. Tr. 16. Resp. 47.  
Ratio est. Tum quia verba legum propriè  
funt accipienda, vt docetur de LL. Cùm ergò  
votum lex quædam partialis sit, & Virgo  
propriè illam duntaxat signicer, quæ carnis  
integritatem non amisit, vovens Virginita-  
tem ad hanc solùm carnis integritatem  
se obstrinxisse censenda est. Tum quia  
ex communi Theolog. qui certus est de voto,  
dubius autem, an & quid comprehendatur

eo

eo voto, non tenetur ad eam partem, de quâ dubitat. Cùm ergo Nymphodora certa sit de voto Virginitatis, dubitet autem de perpetuâ castitate, si hoc dubium ante lapsum illi incidisset, ita secum statuere potuisset: Si, quod Deus avertat, Virginitatem meam deperderem, vi huius dubij nontenerer ad perpetuam castitatem. Ergo etiam iam post deperditam Virginitatem potest similiter secum statuere & iudicare. Atque ex his patet ad rationem in oppositum.

LX. Olaus acatholicus tum ex conuersatione cum orthodoxis, tum ex lectione libellorum contraversistariorum eò deuenit, vt Catholicà fides magis ei probabilis videatur, quam sua, & tamen in sectâ suâ perstat. Quæritur. Virum rectè?

Videtur malè hoc facere. Ita Bannez 2. 2. q. 10. art. 1. d. 3. conclus. 3. & 4. Le desma, alij. Quia in medio ad salutem necessario oportet nos viam ingredi securiorem, ne pereudi periculo exponamur, id quod maximè vrget in articulo mortis, ubi tempus rem examinandi nullum superest, ut censet Thom. Sanchez. L. 2. in Decal. c. 1. n. 6. Confirmatur. Quia licere cuilibet sequi probabilem relictâ probabiliore, non est intelligendum de opinione probabili facti, sed juris, ut contingit, cum hominem à longè conspicis probabili feram esse ratus; licet enim & què probabile sit, feram esse, ac hominem, non ta-